UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Dubium

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

currit ullam pœnam nec ſuſpenſionem, cum non dicitur ordinans abſque titulo, Dian. Et ſi moriatur, donatio transfertur hæredibus donatarii, *ibid. reſ.* 135.

Vera eſt donatio facta à Conſtantino Imperatore Eccleſiæ.

119. Donatio facta à Conſtantino Imperatore Eccleſiæ vera eſt, & valida, & contrarium aſſerentes ſunt denunciandi, ut hæretici. *ibid. reſ.* 136.

DVBIVM.

Dubius non eſt ſpoliandus de dubia poteſtate.

1. IN dubio Princeps impediens extrahere victuali à ſuo ſtatu ad Romanam Curiam, non debet ſpoliari poteſtate dubia, ſicut non eſt æquum ad obligandum, qui dubius eſt an. 21. annum expleverit, ut jejunio obligetur, cum in dubio ſtat pro libertate poſſidentis, unde ſi impedimentum eſt appoſitum à perſona publica, in foro externo præſumitur juſto titulo appoſitum eſſe, ſecus ſi perſona privata. *p. 9. tr. 7. reſ.* 17. Vide, Bulla Cœnæ.

Certant Doctores.

2. In dubio ex multis occidentibus unum hominem omnes eſſe irregulares tenet Leſſius, alii tenent nullum eſſe in foro interno, in externo adhærent Leſſio probabiliter; ſed ſi unus reperiatur occiſor ipſe eſt irregularis. Covarru. omnes eſſe irregulares tenent aliqui, ut auxiliantes, conſulentes, &c. Avila *ibid. tr. 6. reſ.* 18.

Ægrotus in dubio non indiget diſpenſatione.

3. Abſtinentia certus in dubio cum ſit illatura damnum vitæ non indiget ægrotus diſpenſatione. Diana. *parte 9. tract. 6. reſolut.* 27.

Dubius de impedimento dirimente poteſt contrahere.

Contrahens bona fide, poteſt petere de mala fide, poteſt reddere ſed non petere. Elapſo bimeſtri tenetur ad caſtitatem, niſi aliter voverint.

4. Dubius de impedimento dirimente poteſt contrahere matrimonium, quia poſſeſſio ſtat pro dubitante. Leſſius, & alii *par. 10. tract. 15. reſ 7.* qui verò bona fide contraxit, & poſſidet poteſt petere, & reddere, ſecus ſi mala fide poteſt reddere, ſed non petere, 1 *ſi quæres.* Si matrimonium ſit contractum, & non conſummatum elapſo bimeſtre tenetur reddere, Vaſquez. *ibid. §. At difficultas.* de dubitante de jure ſuo, vide Dia. *ibid. §. Sed hic notandum eſt.*

5 Qui vovit virginitatem, & eam amiſit non tenetur ſervare caſtitatem, ſecus ſi intendit tantum de prima vice Sanchez & alii *p. 10. tr* 17. *reſ.* 44.

Ignorans caſum reſervatum poteſt abſolvi.

6. Ignorans caſum reſervatum abſque cenſura abſolvi poteſt à quocumque Confeſſario tamquam à non reſervatis. P. Joſeph. de S. Joſeph. & alii. *par. 10. tr.* 13. *reſ.* 63.

In dubio pro matrimonio præſumendum eſt.

Non eſt eadem ratio de ſponſalibus.

7. Data paritate perſonarum in dubio pro matrimonio præſumendum eſt tam in contracto quam in contrahendo, ſecus de imparitate Maſcard. *ib. tract.* 13. *reſolutio.* 39. non eſt eadem ratio de ſponſalibus. *ibid. §. Notandum tamen eſt.*

8. Si adulter dubitet, an filius ſit ſuus, an mariti, præſumitur eſſe mariti; quia maritus eſt in poſſeſſione Leſſius *de juſt. l. 2. cap. 10. d. 6.* Si verò plures matrem cognoverint, ita ut reſpectu unius eſſet ſpurius, reſpectu alterius naturalis, præſumitur naturalis; quia hoc eſt honeſtius. Vaſquez & eo caſu probabile eſt neutrum teneri filio procurare alimenta, ſed ſolam matrem, quia nemo cogitur ſolvere debitum incertum. *p. 21. tract. 5. reſ.* 27.

DVELLVM.

Duelli deſcriptio.

Duellum eſt prohibitum ſub excommunicatione fieri.

1. † DUellum eſt pugna ex condicto aſſumpta duorum, vel plurium cum periculo mortis, aut vulnerationis gravis, abſque licito fine. Eſt duellum regulariter prohibitum, præſertim jure Eccleſiaſtico & maximè ex Tridentino, & Bullis Pii V. Gregor. XIII. & Clement. VIII. ſub pœna excommunicationis Papalis, quam an abſolvere poſſit Confeſſarius Regularis, quære ſub ejus nomine *num.* 3. Non ſolum autem duellum committentes hanc excommunicationem incurrunt, ſed etiã patrini, conſulentes, ſuadentes, ſpectatores ex conſilio, & quocumque modo ad duellum concurrentes tam publicum, quam occultum. Item Principes concedentes locum ad duellum in ſuis terris, aut ſcientes, & permittentes. Præter excommunicationem ipſi cõmittentes duellum incurrunt omnium bonorũ pro-

Patrocinari. Conſuli, Suaderi.

Inſpici.